UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 142. Beneficia Regis in Comminæum

urn:nbn:de:hbz:466:1-66459

Visual Library

præcepta cum omnibus Chriſtianæ fidei regulis adeo felici copulabat vinculo, ut neutrius leges unquam violaſſet. Flandriæ Hiſtorici cauſſas, quæ Comminæum ad defectionem impuliſſent, conjectura aſſequi conantur, ſed haud alias licet plures in medium proferunt, quam quæ calumniam redolent. Ceterum ea in re vero magis ſimile videtur, quod Comminæus, cum probe cognoſceret, quod Burgundus periculoſis Aulicorum conſiliis impulſus ruinæ ſuæ proximus appropinquaret, Principis ſui obſequium deſerere ſtatuerit, priusquam ille ultimum exitium experiretur, ut calumniam effugeret eorum, qui Ducem eo auctore in calamitates, quæ eidem jam tum imminebant, prolapſum fuiſſe criminari poſſent. Ludovicus autem, cum ſe Comminæi opera a Burgundi Ducis manibus liberatum fuiſſe optime noſſet, tanti beneficii ſibi Peronnæ præſtiti memor, illum haud vulgaribus beneficiis cumulavit.

Sæcul. XV. A.C. 1472.

§. CXLII.

Beneficia Regis in Comminæum.

Præprimis Ludovicus Rex Comminæum ſibi a cubiculo eſſe voluit, dein non raro regiæ menſæ convivam adhibuit, ſemperque intimum arcanorum arbitrum, ac in omnibus conſiliarium ha-

Secul. XV. A. C. 1472.

bebat, ſæpiſſime in difficillimis etiam negotiis ab ejusdem conſilio pendebat. Uxorem quoque Comminæo ſelegit Helenam Chambeſiam, unicam Filiam ac Montſori hæredem. Eo connubio auctus eſt ditionibus, Argentorio, Vocellia, Caria, Coppela, Briſſonia, Villantria, Gurga, Begnonia, Savignia, necnon Mottiæ caſtro. Erat ipſi arcta magis cum Rege familiaritas, quam olim cum Burgundiæ Duce habebat. Ipſe Rex nonnunquam animi relaxandi gratia ad caſtrum Argentorium conceſſit, ubi etiam aliquando adverſa valetudine oppreſſus hærere compellebatur, quin tamen inde palatii anguſtiæ regiis Miniſtris ſatis commoda denegaſſent cubicula. Præterea Ludovicus Comminæum maxime honorificis legationibus decoravit, ejusdemque curæ ſummi momenti negotia, quæ durante ejus regimine occurrerant, commiſit, ſimulque in laboris præmium eidem adjecit Talmontii Principatum, præter Aulonam, Curzonem, Caſtrum Gontheri, & Calvum.

Montſoreau. Vauzelle. Coppou. Villantrois. Gourgue. Gayme.

§. CXLIII.

Pia conſuetudo ad meridiem pro ſalutatione Angelica pulſandi campanas a Ludovico XI. introducta.

Ludovicus XI., quamvis ceteroquin ejus